PIETAS

ILLVSTRISSIMI

DOMINI, PRINCIPIS GENEROSÆ

GRÆMORVM FAMILIÆ, COMITIS

Montiſ-roſarum in patrem è vita placidè decedentem 9. *Novemb.* 1608. *qui Regis vices in Britannia ſeptentrionali feliciter geſſerat, & in ſupremo regni foro Senatorũ principem integerrimè egerat,*

Pioque filij mœrentis dolori adhibita Conſolatio.

EDINBVRGI

EXCVDEBAT ROBERTVS CHARTERIS, Typographus Regis. 1609.

Struxeris, & tumidam ſancta in conamina mentem
Sic domitans, dederis manſura in carmina vires.
Credo, tibi (nec vana fides) in funere patris
Iam toties viſo lachrymis urgere jacentem
Græmia progenies ſoli ſolamina quæri.
Maxima pars obeunt hæredia magna parentum
Plus æquo ſibi gaudentes de pectore grata
Morte patrum, quibus haud imis inflicta medullis
Plaga hiat, aut triſti livent fera pectora planctu:
Non gemitus aliis, lachrymaſque ciere laborant,
Luminibus patrium ſiccis ſpectare feretrum
Quos juvat: hi ſaturi lęta inter pocula, quærunt
Carmina, lugubres mandantque valere querelas
In numerum quoties ludunt, ſaltantque ſalaces.
Naſcitur infelix, nec dextro ſidere turba,
Fata quibus ſunt grata magis, quam vita parentum,
Qui gravius, qui dura loqui, aut immanius audent
Hiſce nefas moliri hominum portenta, merentur
Nomen ut extinctum nullo memoretur in ævo,
Sublati e medio noſtro moveantur ab orbe.
Num mare, num tellus immania monſtra feratis?
Haud poterunt ulla quæ relligione piari,
Funere cum gaudent lætantur cæde ſuorum,
Lucem adimunt per quos jucunda luce fruuntur:
Queis amor & pietas tanta eſt, ut fata ſubirent,
His quæ proferrent: orbo nil dulce parenti,
Exoſus lucem mærentia pectora torquet,
Inviſam gaudens quam primum abrumpere vitam.
Quanta patres cura exercet? diſcrimina quanta
Sæpe adeunt quantos ultro tolerare labores
Cernimus! ut natis tenues avertere poſſint
Res, duramque famem, ne tempora dira nocerent:

His

His quoque perpetuis onerantes æthera votis
Cuncta timent, pacem, veniam, bona cuncta precati,
Crescenti comes ut fortuna afflaret amico
Lumine virtuti, scelerum contagia vitent,
Detur & ornatis cunctis excellere rebus.
Num mala persolvant patriis mala gaudia curis
Pignora, quæ ingratæ capiunt ex funere mentes?
Sic bene de sese meritis non digna rependant?
Sic cineres tentent, charosque revellere manes?
Tu verò patriæ fatis melioribus ortus
Heroum genus, & divino semine cretus
Cuncta patri similis, magnorum dignus avorum
Et ducc natura, & monitis cœlestibus actus
Degenerem odisti sobolem pietatis avitæ,
Cognati ingenij, morum, virtutis, amoris:
Hinc oculos lachrymis satians, & pectora planctu,
Sic patrios manes, tanquam divortia, luges,
Luce gemens, tacitis noctem sic fletibus imples,
Vt juvet ingenuo tantum indulgere dolori,
Atque tuo tristes luctus impendere damno,
Patris vbi placida clausisti lumina morte.
Hinc digitis pulsare Chelyn, vel verbere eburno
Grande nefas censens, surdam nec carmine mulces,
Nec facilem pandis cytharę tinnitibus aurem.
Sic fidei exemplar primum exequialia Iusta
Conjugis, Isacidę fleerunt funera Mosis,
Fatidici lachrymę regis planxere Neriden,
Quem ferro incautum capitali fraude Ioabus
Clam superat, lateri sceleratumque abdidit ensem:
Lazario dominus, germana flente, sepulchro
Ingemuit, lachrymæque notant sub pectore clausum
Vulnus, & umbrifero a lembo reuocantis amorem.

Sit tibi, nemo vetat, lugendi expleta voluptas,
Ad ſuperos multum fleti ſaturere dolore.
Debita lanificæ cum tantum tempora parcæ
Complerint, plebem, regeſque vno ordine habentes,
Felices obeant, quos non infixa remordent
Spicula lethæo mortis prætincta veneno,
Buſtaque vivifico Chriſti perfuſa vigore
Reſtituant tandem cœleſtia pignora cœlo,
Spemque pii foveant quód mox rediviva reſurgent
Corpora, quæ gelido fuerint mandata ſepulchro:
Quamque dedit dominus reduci nunc igne reverſam,
Ætheria credant animam requieſcere ſede:
Pone caput tandem feſſum, furare ſequaci
Curę animum, voces non dedignatus amicas:
Nam mærore tuo mæstentia pectora torquent,
Qui pia ſenſerunt tanti conſortia luctus.
Quid loquor, aut ubi ſum? cur verba medentia vates
Conſero? ſuffuſas habeant cum verba lituras,
Cum lachrymas tanto cineri ceu munera mittens
Dem gemitus, magnoque traham ſuſpiria motu,
Meque fleam charo patriæ ſuperare parenti.
Scilicet eſt magnum gemitus conferre levamen,
Solamenque pios pariter lugere malorum.
Hìc tenuiſſe modum tamen eſt laudabile, major
Vulnere ne luctus, ne ſit flagrantior æquo,
Flebilis, abjectus, neu juncta ignavia magno
Nunquam digna animo, Mavortia pectora frangat:
Sed ſcelerum memor, ac offenſi numinis iræ,
Sæpe minus facti cernens incommoda damni,
Has quibus imbuimur maculoſas ſanguine labes
Abluat effuſo noſtræ de vulnere Vitæ.
Hac iter ad ſummi eſt fulgentia limina cœli,

Quod

Quod prius anguſtum cæleſtia pignora inibant,
Et ſobolem docuere,& monſtravere terendum:
Huc modo tum gemmis,tum pondere divitis auri
Charior accedat ſpes, cum pietate fideli.
Ne tamen hic longa verborum ambage moremur:
Satne datum fuerat longævo, nate,parenti
Non ſibi,ſed Chriſto vitam regnoque trahenti:
Hinc monſtrata tibi puræ fuit orbita vitæ,
Cum ſine labe domum, patriam moderamine legũ,
Et pietate regens,fugienda, ſequenda moneret
Ille parens,ſummos tribuit cui Cæſar honores
Imperii,legum & rerum mandavit habenas,
Scilicet haud vlli genere aut virtute ſecundo:
Iurave dicendo ſignatave jura ſequendo,
Vt gereret ſic ſe civem, patremque probaret.
Si libet annales priſcorum evoluere regum,
Iuſtitia invictos qui frænavere Britannos,
Prima vt præclaræ ſtirpis repetatur origo,
Regis avus,regis ſocer, alto e ſemine cretus
Primus erit Græmus, qui non ſine ſanguine nobis:
Hanc patriam pariens, animos æquavit olympo,
Et domitas gentis furias virtute feroeis
Conſilio externos ſedavit principe motus,
Arva ſuis,ſociiſque dedit ſua ſigna ſecutis,
Imperio longa populos in pace regebat,
Remque decuſque domus ſtatuens hac arte tuenda.
Præteream tacitos belli paciſque labores
Græme tuos,noſtræ quondam fortiſſime gentis,
Et patriæ vindex aker,quo tempore Vallæ
Vna ſalus fueratque tibi commune periclum,
Tum populi pactus pro libertate ſalurem,
Tum prope captivo demis juga turpia regno.
Sed genus a tanto demiſſum nomine,non tam

Herois famam extendit ſuper æthera noti,
Quam pietas, virtuſque domi ſpectata, foriſque
Cognita, quam mitis placidi clementia vultus:
Principis officio quam ſancta modeſtia major,
Et probitas generoſa ævi tranſcendere metas
Digna, favis quamque hyblæis vox miſta loquentis,
Cui draco vibratæ vel ſtridula ſibila linguæ
Poneret, immanes domita feritate leones
Corpora proſternant, ferventia pectora bilem
Compeſcant, duri vellent ſervire Geloni:
Tenderet & famulas gens quæque teterrima dextras,
Quæque animum lacerant dolor, anxia cura faceſſant.
Sed quâm vile lucrum, caſti quæ cura pudoris,
Quantus amor recti, gravibus quę gratia dictis,
Quam piger ad pænas, fueritque ad prȩmia velox,
Vlla horum noſtras capiant oblivia mentes?
Illi hæc temperies fuerat placidiſſima morum,
Dideret in cunctos ut vitam commodus uſus,
Id reputans poſſe hanc mage, quã mandata regẽtum
Flectere, & humanos melius componere ſenſus.
Quô decus egregium formę rapis? atque virilis
Gratia? purpureo ſuffuſus ſanguine candor,
Sidereique orbes, frons explanata, comęque
Flaventes olim, ſed nunc candore nitentes?
Scilicet ut pulchro veniens e corpore virtus
Gratior, & memorem famam, & mereatur amorem,
Hoc uterum cuperet generoſo ſemine conjunx
Regia compleri, ſi ſic peperiſſe liceret,
Tantaque ſi caſti ſperaret prȩmia lecti.
Quiret & hoc thalamo dotari regia virgo,
Iure crepet ſeſe felici ſidere natam.
Ergone cùm tanto ſe Scotia iactet Alumno,

Atque

Atque illo regni collega in parte locato
Cæſar, eo patriæ cives vigilante parente
Lætati, tenueſque illo ſe vindice freti,
Seque inopes, orbique ſuo tutore fideli
Oſtentent, ulli mirum ſit ſanguine tanto
Et tali genitore ſatum lugere? parenti
Officio & ſtudio certare? at cedere nulli,
Nam pater ut patria prima incunabula cura
Texit, ut infantis teneras cum murmure voces,
Vagitumque rudem, fletumque libentius hauſit
Aure tuum, lepidæ quam blanda choreumata turbæ,
Atque animum molli amplexu fatiavit, ut ore
Sæpius, & pulchro paſcebat lumina vultu,
Te ſibi delicias & dulces pectore curas,
Vt dare florentes ſtudiis juvenilibus annos
Gaudet, in eductum ingenueque impendia magna
Contulit, eſt ut honos habitus monitoribus olim:
Sic bene apud memorem patrij ſtat gratia facti:
Nam puer ingenuis pueriles moribus annos
Antevenis, ſed ubi collegit ephebia vires,
Obſequio & charum vincis pietate parentem,
Quem colis officio, & ſancta probitate, vigorem
Corporis atque animi cum nondum tarda ſenectus
Debilitans ſolidæ conſtabant robore vires
Ævi florentis: ſed nunc vergentibus annis
In ſenium, magna in ſenium gravitate verendum
Te iuvat aſſiduas animi conſumere curas,
Septus enim ut tecto eſt, rerumque reliquit habenas,
Corripuitque gravis languentia corpora morbus,
Quæ non quæſita eſt præſens fortuna laborum?
Pæonia dum fata manu producere tentas:
At mala cum medica plus convaluere medela,

Peneque ſupremo verſantur lumina motu,
Quo gemitu luctantem animam, vincliſque reſolvi
Corporeis cupidam, & frigentia membra fovebas?
Optarumque premis vultum, prædulcia figens
Oſcula, ſeclusus lucem averſaris iniquam?
Neu cariem traherent defuncti corporis artus,
Membraque ſordeſcant putri liquentia tabo,
Vnguine conditum morbo luxere caducum
Et famuli, tecum corpus, ſociæque coronæ.
Hinc caſiæ & molles myrrhæ funduntur odores:
Pinguiaque incano ſtillant unguenta capillo,
Deſertas exoſus opes, cupis omnia ferre,
Et patriis totos umbris impendere cenſus.
Cujus enim fueras requies portuſque ſenectæ,
Illam maghifici dignaris honore ſepulchri,
Regifico dotans elatum funere corpus.
Mæſta licet, magno ſplendent tamen omnia luxu,
Admiranda quidem toti ſpectacula genti,
Funus ubi ad tumulum multis cum millibus effers:
Hic procerum primi, iuvenumque ſenumque caterva
Pone duces, ſubeuntque nigrę ſolennia pompæ,
Pars pedes it campis, in equis pars arduus altis
Incedit, ſummo veſtigia pulvere ſpargens.
Signa ferunt alii fulvo radiata metallo,
Funeſtęque tubæ, funeſtas clangor adauget
Curas pullatæ, pulſataque claſſica, turbæ.
Cæſaris ille vices noſtro cum geſſerit orbe,
Cæſarei decorant prælata inſignia regni,
clauſa Sigilla [illegible], duplex auro gemmiſque corona.
Qualis in optatæ promiſſa hæredia terræ
Exanimus Phariis olim remeavit ab oris
Iſacides, magna procerum comitante caterva,

Certa

Certa hæc amplectens ſperati pignora cæli,
Cum miſeræ laſſum cœperunt tædia vitæ.
Ille leves doctus titulos parvique nitoris,
Gaudia, & humanæ contemnere commoda vitæ,
Talis ad antiqua effertur monumenta regentum,
Talis in auguſti vehitur ſacraria templi:
Hujus, ubi verbi ſacros haurire liquores,
Sæpius eſt ſolitus, ſanctoſque inviſere cœtus,
Vt ſit ei requies, ſit eique in limine portus
Et poſita tandem ſperet formidine cœlum,
Hîc ubi ſedatis requierunt pectora curis,
Et ſcelerum venia & promiſſa numinis aura.

IN ANIMAM SERENISSIMI QVONDAM Comitis Moniſ-roſarum, Britannorum ſeptentrionalium Proregis, & in ſupremo regni foro Cancellarij, ad ſuos migrantem.

QVam Deus in terris Heroum ê ſemine membris
Corporeis animam cæleſti ſede petitam
Clauſerat, inque piam deſcenderat incola, vinclo
Quamque adamantæo fidei ſibi iunxit, & alvum
Spirantem docuit Cælum ſperare colendum,
Seque boni fontem veri, vitæque ſequendum:
Hanc Deus exilij perveſſam tædia longi
Munere perfunctam terreno, corpore ſolvit,
Hanc repetens ad ſe reduci vult igne reverti,
Terrarumque decus ſedes decorare piorum,
Ditatumque ſolum ditare hoc lumine cælum.

HVIVS OPVSCVLI EXPLANATIO.

ERGone) Author carminis in proœmio queritur humeris ſuis jampridem laſſatis, & multiplici cura pene debilitatis impar onus imponi; quod tamē non dubitabit libenter ſuſtinere, dummodó ei adſit præſentia Muſarum & numinis, quæ huic argumento conveniunt ſuo inſtinctu dictatis.

Credo tibi) Finis Epicedij est consolatione lenire dolorem pij Herois animo infixum, quem ex tanti & tam sibi chari parentis morte capiebat.

Maxima pars) Ad illustrandam filij in hoc luctu pietatem inducitur ex aduerso impietas liberorum ἀστόργων letho patrum gaudentium, cum idcirco lætari sit quodammodo eis manus violentas inferre, qui ipsos genuerunt.

Quanta patres) Ad exaggerandum horum ingrati animi vitium, quanta sẽper sit parentibus de liberis cura ostẽditur.

Tu verò) Notatur magnã dissimilitudinẽ ingenij, & morum habere hunc heroem patrẽ vita functũ tantopere lugentem, a natis illis profanis & inhumanis obitu parentũ lætantibus.

Sic fidei) Huius filij luctus illustratur exemplis Abrahæ vxorem, Israelitarum Mosen, Dauidis, Abnereum, Christi, Lazarum mortuos lugentium.

Sit tbi) Sequuntur hic quædam consolationis argumenta.

Quid loquor) doloris societas quoddã etiam habet solatiũ.

Hic tenuisse) Christianorum mẹror ad peccatum ut proprium ejus objectum referri debet, & certa persuasione veniæ iam pijs datæ temperari.

Ne tamen) Adduntur & hic alia leuandi doloris argumenta, in his etiam sunt laudes defuncti, quę post commemorantur, vt generis nobilitas, bona animi & corporis tot & tanta, vt talem vel reginæ ipsę optarent peperisse, vel regum filię tali viro nupsisse.

Ergone) Epilogus causarum cur filius patris e vita discessu tantopere angatur.

Nam pater) Mutua pietatis officia commemorantur, tum viui parentis in filium, tum filij in parentem viuum, valentem, ægrum, morientem, & mortuum, mortuo curantis amplissimũ funus faciendum, & locum sepulturę deligendum in nobilissimo Britanniæ septentrionalis templo Edinburgeno ex Cæsaris nostri pręscripto, vbi prius voce dei audita ipsum compellantis in cœlum suspirare didicerat: Quemadmodum Iacob sepulchrum in terra Cananęa tanquam pignus regni cœlestis habebat.

FINIS.